

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De vitanda Superbia. Cap. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](#)

16 DE RHETORICA ECCLES.

De vitandis. Cap. IX.

CV M autem sapientia Christiana in hoc maxime
cōsistat, vt declinemus à malo, & faciamus bonum;
dicet in primis vitanda esse peccata, quia nos separant à
fonte bonitatis Deo: quia filios Dei adoptuos, filios lucis,
seruos satanae, et filios tenebrarum faciunt: quia distin-
guunt nos à Christo, qui est via, veritas, & vita: quia va-
rijs modis animam nostram excruciant. Originale, quod
à primo humani generis parente Adam in posteros trans-
fusum est, per Baptismum tolli; vitari quidem non posse;
sed Dei misericordia sublatum sāpē commemorandum;
vt calamitatis memores, & diuini beneficij, humilitatem
diligamus. De mortalibus peccatis, quoniam sāpē fit men-
tio, dicet eo nomine appellari, quia mortem inferunt ani-
mae: notissimū esse illorum numerum, septem esse peccata
capitalia, ad quæ cætera referuntur, Superbiam, Aua-
ritiam, Inuidiam, Luxuriā, Gulam, Iram, & Accidiam.

De vitanda Superbia. Cap. X.

ADDET, Superbiam esse appetitum excellentiæ
inordinatum, quæ in his est posita, cùm bona, quæ
habemus, non accepta Deo referimus, eaq; iactamus tan-
quā nostra; vel bona, quæ non habemus, nobis arrogamus.
quo in genere collocantur hypocritæ. Contra hæc genera
superbiæ ita dicet Ecclesiasticus orator, vt ostendat nihil
tam aduersari Christo, nihil minus conuenire naturæ ho-
minis, quam superbiam. Addet, vbi est superbiam, ibi esse
stultitiam: superbum, qui ob virtutes extollitur, de vita
mori, de sanitate agrotare, de medicamine perire, vt S.
scribit Gregorius. Auditores verbi Dei hortabitur, vt in-
firmita-

LIBER PRIMVS.

*firmitatem humanam sàpè considerent, & varias huìus
vitæ calamitates sibi ante oculos ponant; ut ad humilita-
tem, reliquarum virtutum fundamen tum, excitentur.*

De vitanda Auaritia. Cap. XI.

VITANDAM esse Auaritiam, facile erit ostendere, cùm auaros valde detestetur Dominus, cùm miserrimam vitam ducant; cùm ceteris hominibus, sibi ipsis in primis sint odiosi. Dicet immoderatā hanc habendi cupiditatem vitandam; Domini esse terram, & plenitudinem eius, diuitias in vsu, non in possessione consistere; iniquorum hominum usurpationes appellandas, diuites esse ministros Dei, dispensatores, et øconomos, earum potissimum rerum, quas in vnum coaceruari permittit, ut fidelitatis quorundam periculum faciat; alios eleemosynis in cælestem hereditatem recipiat, alios ob tenacitatem aeterno supplicio puniat. Quo loco verba Iacobi Apostoli, si placebit, explicabit: Agite nunc diuites, plorate in misericordiis, quæ euenient vobis, et addet verba S. Augustini, Vnde qui augent res perituras, vnde aeternas amittant.

Devitanda Inuidia. Cap. XII.

INVIDIAM filiæ superbia esse nemo dubitat. cùm enim doleat inuidus bonis alienis, ideo dolet, quia se ille dignum putat. Dicat Ecclesiasticus orator, nihil boni in se habere inuidiam, nisi quòd cruciat inuidentes: quod etiam Isocrates scripsit. Addet, esse satanæ machinam, qua subdolus ille animarum nostrarū hostis, humano generi insidiatur, præstantia etiam ingenia inuadit, virtutes contaminat, & rectam viuendi rationem peruertit.

C

Eius